Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

ASSER-
TIONES DE IVSTI-
FICATIONE HOMINIS
CORAM DEO CVM REFVTATIONE
errorum pugnantium cum uera
ſententia, propoſitæ in
diſputationem
à
NICOLAO HEMMINGIO
Anno 1561.

HAFNIAE
APVD CHRISTOPHORVM
BARTH.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

1.

PAulus docturus Romanos quænam ſit iuſtitia, qua corā Deo homo conſiſtere poſſit, duplicis iuſticiæ mentionem facit, quarum altera hominem iuſtum fieri neceſſe eſt, qui ſalutis æternæ hæreditatem adire uoluerit.

2. Harum unam, iuſtitiam ex lege, alteram, iuſtitiam abſq; lege appellat, illam hominis, hanc Dei eſſe pronuncians.

3. Quod autem nemo mortalium iuſticia legis coram Deo iuſtificari poſſit, firmiſſimis demonſtrationibus aſtruit: inter quas hæ quinq; ſunt præcipuæ.

4. Prima ſumitur ab ipſa natura humana, quæ eſt impura & contagione peccati fœdata. Iam cum quicquid ab impuro fonte manat, impurum eſſe neceſſe ſit, qui fieri poteſt ut ex natura impura prodeat pura erga Deum obedientia, & plena erga homines dilectio. Cecidimus, inquit propheta, quaſi folium uniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi uentus abſtulerunt nos.

5. Secunda ſumitur ab experientia uniuerſali omnium hominum, & ā proprio conſcientiæ in omnibus hominibus teſti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

monio. Nec minus certa eſt hæc uniuerſalis experientia, nec minus certum eſt conſcientiæ teſtimonium, quàm certum eſt per experientiam ignem eſſe calidum & aquam humidam.

Tertia ſumitur à iuſto Dei iudicio 6. punientis omnes homines. Iam autem cum nemo puniatur à iuſto iudice, niſi qui reus ſit, & omnes homines etiam infantes diuinitus puniantur morbis & morte, ſequitur omnes homines reos eſſe, & neminem coram Deo ſua obedientia erga legem iuſtum eſſe.

Quarta ſumitur à ſcripturæ teſtimo- 7. nijs. Scriptura enim nullum iuſtum eſſe legis operibus, & ne unum quidem affirmat. Si iniquitates obſeruaueris Domine (inquit Dauid) quis ſuſtinebit?

Vt autem fortius concludat ſcriptura 8. neminem operibus iuſtificari poſſe, adimit homini tria quæ ad iuſti actionem, & plenam legis obedientiam requiruntur: uidelicet, intelligentiam, uoluntatem bonam & uires præſtandi ſpiritualem iuſticiam qualem lex Dei requirit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

9. Quinta ſumitur à neceſſitate uictimæ filii Dei. Si iuſticia eſt per legem, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Prioribus quatuor utitur apoſtolus in epiſtola ad Romanos: quinta in epiſtola ad Gal: Cap: 2.

10. Ex his demonſtrationibus Paulus infert hanc concluſionem: propterea ex operibus legis nullus homo iuſtificabitur in conſpectu Dei.

11. Hac confecta & demonſtrata concluſiõe, uidelicet, quod nullus coram Deo iuſtificari, hoc eſt iuſtus fieri, per opera legis queat, aggreditur alteram iuſticiæ formam, quam diuerſiſſimam ä iuſticia legis facit.

12. Ponit autem has differentias, ut ſupra admonui: ex lege, abſq; lege. Iuſticia enim legis eſt ex lege, uidelicet, cum legi obedientia hominis ſatiſfit: iuſticia Euangelij eſt iuſticia abſq; lege. Qua differentia Paulus apertè docet, quöd opera neq; ſint principium, neq; cauſſa, neq; materia, neq; forma neq; conſummatio iuſticiæ Euangelicæ, qua credentes iuſtificati conſiſtunt coram Deo.

13. Hac conſtituta differentia inter iuſticiam

tiam legis & iuſticiam Euangelii, longa ex-
poſitione docet Apoſtolus, qualis ſit res, iu-
ſticia Euangelii, quæ teſtimonium habet à
Moſe & prophetis.

Summa autem huc redit, quod ea iuſti- 14
cia non ſit in nobis qualitas, ſed donum po-
tius, quo condonantur credenti peccata,
quo imputatur credenti Chriſti iuſticia,
quo credens acceptatur ad uitam æternam
gratis propter Chriſtum.

Vt ergo legis iuſticia eſt ex operatio- 15.
ne hominis, atq; ideo hominis dicitur: ita
Euangelii iuſticia eſt ex dono Dei, atq; ideo
iuſticia Dei per fidem Ieſu Chriſti ab Apo-
ſtolo nominatur.

Hinc conſtat, quod iuſtificatio, de qua 16
Euangelium concionatur, ſit hominis cre-
dentis in Chriſtum abſolutio à peccato, im
putatio iuſtitiæ Chriſti, & acceptatio iuſti-
ficati ad uitam æternam gratis propter
Chriſtum.

Vt autem hæc iuſtificationis doctrina 17
à piis facilius intelligatur, definitionem po-
ſitam in ſuas partes quaſdam retexam, quæ
ſunt quinq;.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

18 Prima eſt, quòd fit mentio fidei, quæ propriè loquendo, non eſt id quo iuſtificamur, ſed tantum inſtrumentum, ac ueluti manus, qua iuſtitia gratuita per Euangelium oblata accipitur. Ideo fides non magis meretur iuſticiam, quàm manus leproſi meretur eleemoſynam ſibi á pio homine porrectam.

19 Qualis autem res ſit fides, melius doceri non poteſt, quàm propoſito exemplo fidei Abrahami, cuius fidem imitari omnes oportet, qui cupiunt iuſticiæ Euangelicæ, atq; adeo ſalutis æternæ participes fieri.

20 Abrahamo proponitur voce Dei hæc promiſsio: in ſemine tuo (hoc eſt in Chriſto) benedicentur omnes cognationes terræ. item: ero Deus tuus & ſeminis tui. Hanc promiſſionem Abraham intelligit, huic aſſentitur, expetit etiam toto pectore promiſſam benedictionem, & quia ſtatuit Deum & ueracem eſſe & omnipotentem, firma fiducia recubuit in promiſſionem factam, dans Deo gloriam, nihil motus rationibus quas contrà obiecit ratio.

21 Hinc efficitur, quod fides uera ſit noticia, & aſſenſus, & expetitio miſericor-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

diæ promiſſæ, & in eum, qui promiſit, fi-
ducia.

Etſi autem Diaboli, & multi impii ha- 22
bent noticiam & aſſenſum promiſſionis
gratiæ: tamen quia Diaboli promiſſionem
non habent, & impii homines uiua carent
fiducia, non habent ueram & iuſtificantem
fidem, quæ propria eſt filiorum Dei. 23

Publicanus in Euangelio, & Latro in
cruce nouerunt hanc promiſſionem Euan-
gelij, quod Chriſtus uenerit in mundum ad
ſaluandos peccatores. Huic noticiæ non ſo-
lum aſſentiuntur, uerumetiam expetunt
promiſſam gratiam, ac uiua fiducia in Chri-
ſtum, quem ueracem eſſe & omnipotentem
per diuina eius opera didicerant, recubue-
runt. Eadem ratio eſt fidei etiam in alijs pijs.

Deinde ſecundo loco in definitione fit 24
mentio abſolutionis à peccato, quæ eſt pri-
ma pars iuſtitiæ Chriſtianæ. huc illud Daui-
dis dictum: Beati quorum remiſſæ ſunt ini-
quitates. Beatus cui Dominus non impu-
tauit peccatum.

Eſt autem abſolutio à peccato, liberatio 25
hominis credentis ab obligatione mortis æ-
ternæ & damnationis ob peccatum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

6 Quód huiuſmodi abſolutio contingat credenti in Chriſtũ, teſtatur Chriſtus cũ ait: Qui credit in filium habet uitam æternam. Qui autem uitam æternam habet, eum á morte & damnatione liberatum eſſe manifeſtum eſt.

27 Tertio loco in definitione noſtra fit mentio imputationis iuſtitiæ Chriſti. Huius enim obedientia noſtra fit iuſtitia, quando in eum credimus.

28 Hoc cõprobatur dicto Pauli 2. Corr: 5 Eum, qui non nouit peccatum, fecit peccatum, ut nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. Hoc eſt: Deus pater Chriſtum filium, qui non fuit peccator, fecit reum noſtro nomine, tanquam omnia noſtra peccata perpetraſſet, ut nos fieremus iuſti ipſius iuſticia coram Deo.

29 Ad eum ergo modum iuſti ſumus coram Deo, qualiter Chriſtus fuit peccator. Vt enim is perſonam noſtram quodammodo ſuſcepit, quo reus noſtro nomine fieret, & tanquam peccator iudicaretur, non ob propria, ſed aliena delicta, cum purus foret ipſe & mundus ab omni culpa, pœnamq;

ſubiret

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

ſubiret nobis non ſibi debitam: Ita nos nunc iuſti ſumus in ipſo, non quia operibus noſtris ſatisfacimus iudicio Dei, ſed quoniam cenſemur iuſti Chriſti iuſtitia, quam fide induimus, ut noſtra fieret.

Idem docetur Rom: 5. hiſce uerbis. 30
Quemadmodum per inobedientiam unius hominis (Adami) peccatores conſtituti ſunt multi: Sic etiam per obedientiam unius (Chriſti) iuſti conſtituentur multi.

Quarto loco in definitione fit mentio 31.
acceptationis iuſtificati ad uitam æternam. Nam ideo abſoluimur à peccato, ideo imputatur nobis iuſtitia Chriſti, ut accepti ſimus Deo, tanquam dilecti filij in Chriſto Ieſu.

Hæc acceptatio non pertinet ad ruinas 32
huius uitæ, ſed ad æternam uitam, qua donabūtur omnes in Chriſto iuſtificati. Nam hos ita pater habet charos in dilecto, ut æterna beatitudine eos donare decreuerit.

Poſtremo loco in definitione annecti- 33.
tur, gratis propter Chriſtum. Gratis quidem, ut omnia humana merita excludantur: propter Chriſtum uerò, ut beneficium

redemptionis ſoli filio Dei acceptũ feratur.
34 Hinc apparet cur Sancti patres, Augu-
ſtinus, Baſilius, Ambroſius, Bernardus, &
multi alij utantur particula Sola: affirman-
tes ſola fide nos iuſtificari. Nam uoce Sola
ſignificant nullum eſſe in nobis meritum iu-
ſtitiæ: ſed nos ſola fide eam nobis uerbo ob-
latã accipere. Non excludit ergo particula
Sola cauſas iuſtitiæ, quæ extra nos ſunt, ſed
tantum unam facultatem in nobis ponit,
qua illam iuſtitiam appræhendimus.
35 Etſi hæc doctrina iuſtificationis, ſolidis
nitetur teſtimonijs ſcripturæ & exemplis:
tamen multi omnibus ætatibus aſtu Satha-
næ contra ipſam exorti ſunt errores, quorũ
præcipuos recenſebimus, & firmis rationi-
bus, ſed breuiſſimẽ, refutabimus.
36 Primus error eſt Libertinorum ueterum
& recentium. Hi cum audiunt hominẽ gra-
tis iuſtificari aliena iuſtitia, nempe Chriſti,
& humana merita & opera non eſſe cauſas
iuſtificationis, ſecuritatem carnalẽ docent,
quaſi iuſtificatis fide quiduis liceret.
37 His ita reſponſum uolumus: Etſi reuera
beneficium eſt gratuitum, & iuſtificatio di-
ſtinguen-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

ſtinguenda eſt ab operibus noſtris: tamen
cum iuſtificatione coniuncta eſt regenera-
tio & ſanctificatio ſeu noua obedientia.

Paulus enim apertè dicit: Qui ſpiritu 38
Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. & Chriſtus:
bona arbor facit bonum fructum. Qui ergò
ſtatuit hominem iuſtum eſſe fide, cuius ma-
la & flagitioſa eſt uita, ſenſu communi de-
ſtitutus eſſe uidetur.

Vtrunque igitur tenendum eſt, quòd & 39
iuſti ſimus imputatione iuſtitiæ Chriſti, &
iuſtificati debitores ſimus Deo, ut non ui-
uamus ſecundum carnem, ſed ſecundum
ſpiritum. Si enim, inquit Apoſtolus, ſecun-
dum carnem uixeritis moriemini.

Diſcernendum eſt itaque inter cauſſas 40
iuſtificationis, & qualitates ſeu proprieta-
tes iuſtificati. Cauſſa iuſtificationis eſt ſola
gratia in Chriſto: qualitas iuſti ex gratia, &
proprietas, eſt, ut iuſtitiæ fructus edat iux-
ta illud: Qui facit iuſtitiam iuſtus eſt.

Hinc manifeſtum eſt, quòd horribiliter 41
errent, qui negãt bona opera eſſe neceſſaria
in iuſtificatis. etſi enĩ nõ ſunt neceſſaria ut me-
rita iuſtificationis, tamẽ neceſſaria ſũt ut fi-
dei fruct⁹ & nouæ creaturæ ꝓpriæ actiones.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

42 Neq; tamen recipimus illorum orationẽ, qui dicunt bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem. Nam iſta oratio eſt ambigua, & uidetur opera ſtatuere cauſas ſalutis, quod eſt falſum.

43 Secundus error pugnans cum uera ſententia de iuſtificatione eſt Phariſaicus & Papiſticus. Phariſæi enim & Papiſtæ non intelligentes iuſtitiam gratuitam, duplici errore implicantur. Vno, quod iuſtitiam in operibus collocent. Altero, quod traditionum ſuarum obſeruationem iuſtitiam eſſe contendant.

44 Hunc errorem, quia manifeſtẽ pugnat cum uerbo Dei, non eſt quod eum multis refallamus. Dauid apertẽ clamat: Domine ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. & Dominus poſt Eſaiam dicit: Fruſtra me colunt docentes doctrinas hominũ.

45 Quod autem ſuæ ſententiæ patrocinium quærant ex Iacobo nihil eſt. Spiritus idem locutus eſt per utrumq;, qui mentiri aut fallere neſcit. Paulus dicit hominem iuſtificari ſine operibus: Iacobus dicit homi-

nem iuſti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

nem iuſtificari ex operibus. Vtrumq; uerũ
eſt recte intellectum iuxta ſcopum diſputa-
tionis utriuſq;.

Paulus enim cum dicit hominem iuſti- 46
ficari abſq; operibus, loquitur de effectione
iuſticiæ: at cum Iacobus dicit hominem iu-
ſtificari ex operibus, loquitur de declarati-
one iuſtitiæ. Iuſtificari enim apud Paulum
eſt iuſtum fieri: apud Iacobum eſt iuſtum de
clarari. Ille loquitur de principio, unde ſit
res, hic unde cognoſcatur,

Tertius error eſt Iudaicus & Papiſticus. 47
Iudæi enim & Papiſtæ exiſtimant iuſtitiam
Chriſtianam conſtare fide & operibus ſimul
tanquam partibus iuſtitiam Chriſtianam
conſtituentibus.

Hic etſi magnus & peſtilens eſt error: 48
tamen magis ſpecioſus eſt quàm ſuperior:
ſed facilè refutari poteſt. Nam cum conſtat
obedientiam Chriſti eſſe iuſtitiam noſtram,
cuius pars nec fides noſtra exiſtit, nec opera
noſtra, quis compos mentis, Chriſtianæ iu-
ſtitiæ faciet partes, fidem & opus hominis?

Paulus quoq; hunc errorem refutat 49
Rom. 10: his uerbis. Teſtificor enim illis,
quod

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

quód zelum Dei habent, ſed non ſecundũ ſcientiam. Ignorantes enim Dei iuſtitiam & propriam iuſtitiam quærentes ſtabilire, iuſtitiæ Dei non ſubiecti fuerunt. Finis enim legis Chriſtus in iuſtitiam omni credenti.

50. Hic Paulus manifeſtè reiectionis Iudæorum cauſam ponit, quod uoluerint & ſuam iuſtitiam, hoc eſt, ſua opera, partem iuſticiæ facere, & ſimul iuſticiam amplecti, quæ eſt ex fide.

51. Rationem huius rei ſubiungit: quia Chriſtus eſt finis legis in iuſtitiam omni credenti. Non eſt dubium quin legis finis (hoc eſt extremum quod quærit lex) ſit illos iuſtificare, qui eam obſeruant. Quo minus aſſequatur lex, impedit non ipſius legis impotentia, ſed carnis noſtræ uicioſitas, cui demum ita medetur Chriſtus, ut eius iuſtitia gratis nobis per fidem imputata finem legis conſequamur, per illum ſcilicet iuſtificati, qui, quia pro nobis legem impleuit, factus eſt nobis iuſtitia. 1 Corr. 1.

52. Hoc etiam confirmatur Rom: 4. Operanti, inquit, merces non imputatur ſecundum gratiã, ſed datur ſecundum debitum: at credenti in eum, qui iuſtificat impium, imputatur fides eius in iuſtitiam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)

Hic Apoſtolus duplicem iuſtitiam po= 53.
nit, quarum una ab altera eſt diuerſa. Nam
habēt contrarias cauſas. Fidei enim iuſticia
qua iuſtificatur credens, imputatur & gra-
tis donatur: ſed operum iuſtitia non eſt
gratuita, ut quæ pendeat ex operū merito.

Ex his liquet Chriſtianam iuſtitiam 54
non conflatam eſſe ex fide & operibus, ſed
eſſe ipſiſſimam Chriſti iuſtitiam credenti-
bus imputatā, ſicuti ſuperius oſtenſum eſt.

Quartus error eſt recens Oſiandri, qui
ſtatuit iuſtitia Dei eſſentiali, hoc eſt, iuſti= 55.
tia, quæ eſt ipſa diuina eſſentia, homines
iuſtos fieri. Qui error, quia obedientiam cru
cis, qua Chriſtus peccatum noſtrum expiat,
& obedientiam legis, quā Dominus nobis
credentibus imputat, extenuat, imó reijcit:
non iudicamus illum dignum longiori re=
futatione, etiamſi magnos quoſdam patro=
nos habeat.

QVAESTIO THEOLOGICA.

An excuſari poſſit factum Audæ Epiſ-
copi Perſici demolientis pyrea Perſarum,
nec ne.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Th. 45112 8° (LN 774)